



S. I.

Rost humani generis Lapsum ad salutem nemini patere aditum, nisi qui ea, quæ istum adepturis credenda sunt ex divina revelatione hauserit, omnes, qui Scripturam Sacram Principium religionis adæquatum esse affirmant, verbis quidem profitentur: Sunt tamen inter hos ipsos, qui à divinarum Literarum veritate tanto intervallo recedunt, ut, dum divinitus revelata Dogmata proponere se præferunt, non nisi corruptæ rationis placita exhibeant. Cum enim illi, qui in Theologia docenda sic occupantur, ut Revelationem Rationi postponant, sacrarum Literarum Auctoritatem aperte nihilominus negare haud consultum ducant; hac rem via aggredi moliantur, qua incautis, nihil quicquam à divina revelatione alienum asserere se, persuadeant. Hinc ex Principiis Rationis male intellectis conclusiones deducunt de religione hujusmodi, cujus idea cum illa, quæ in Scripturis revelata extat, directe pugnat; Sed ne isti contradicere videantur, sensum aliquem Scripturæ verborum, quibus inniti volunt, comminisci allaborant, cui efficta à se notio respondeat. Quid ergo de horum laboribus, quibus in Scriptura Sacra interpretanda versantur, emolumentum expectandum sit, facile liquere poterit, cum quilibet ejus, cui

A

se